

Magistratum inferiorum iussa si utraq; simul stare nequeant arg. l. 3. §. 5. inf. D. de sepulc. violat. qvodq; Regum iussa iussis parentum præponderent.

§. XXII. Qvarta regula esto: Qvod tantum permittitur; cedit ei qvod jubetur: Evidem permissiva, si accurate loqui velimus, speciem juris non constituunt. Cum enim lex seu jus per naturam suam involvat præceptum & per consequens obligationem, tale qvid non potest constituere speciem obligationis, ad qvod ego non obligor, sed qvod facere aut intermittere impune possum. Qvia tamen per indirectum permissa qvoq; ad effectus juris referuntur arg: l. 7. D. de Legibus ideoq; & hic qvatenus agimus de concurrentibus principiis agendi pugnantibus, intacta ea omitti non debebant. Qyamvis ergo Jure Naturæ qvafsi permissum videatur omnibus indistincte hominibus capere feras, & qylibet de rebus suis pro lubitu disponere etiam cum abusu possit. l. 21. C. Mandati l. 25. §. 11. D. d. hered. pet. qvatenus tamen hodie privatis interdictum sectari feras bestias, aut etiam certo in casu iidem res suas pro lubitu distrahere aut retinere qvandoq; prohibentur, merito qvod permissum videbatur cedit ei qvod jubetur.

§. XXIII. Regula Qvinta esto: Qvando uni ex duabus propositionibus est contraveniendum, illa tunc intelligitur permissa, qvam violari minoris interest. Valet hæc regula de legibus civilibus circa res sua naturâ indifferentes latis, non vero de moralibus. In his enim uti non dantur majus & minus mala absolute & in se consideratâ malitia, ita nec unum præ altero eligi potest: Qvare si aut homicidium aut adulterium aliqui perpetrandum injungatur sub comminatione mortis, qyamvis videri posset adulterium tam grave peccatum non esse qyam homicidium, aut etiam satius sit tale qvid committere, qyam sine culpa trucidari: neutrum tamen committendum, si qvidem non sunt facienda mala ut inde eveniant bona, qvin potius expectandum, qvid per Dei justitiam in nos decerni possit aut non possit. In civilibus vero uti dixi regulæ huic locum esse tali casu probari potest. Sint leges duæ: Una, ne

qvis

- 14

15